



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Arbor Vitæ Sive Vita Et Doctrina Christi**

Ex Quatuor Evangeliiis In Meditationes Quotidianas Veluti Totidem Ramos  
Distributa

**Ilsung, Jakob**

**Dilingæ, 1693**

Meditatio CCXXXV.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60727](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-60727)

## M E D I T A T I O C C X X X V .

*De duobus Energumenis liberatis.*

Marc. 5. v. 1. Matth. 8. v. 28. Luc. 8. v. 26.

**P**UNCTUM I. *Et venerunt trans fretum maris in regionem Gerasenorum. Et exeuntes de navi statim occurrit de monumentis homo in spiritu immundo, qui domicilium habebat in monumentis, & neque carenis jam quisquam eum poterat ligare: quoniam saepe compedibus & catenis vincitus dirupisset catenas, & compedes diminuisset, & nemo poterat eum domare, & semper die ac nocte in monumentis & in montibus erat, & concidens se lapidibus.* Marc. 5. à v. 1. Addit S. Lucas. c. 8. v. 27. *Et vestimento non induebatur.* Energumenus iste est imago hominis, gravibus peccatis obstricti, nudi, & exuti ueste Animæ suæ, nempe Gratia; gaudentis societate mortuorum, hoc est, carentium vitâ Gratiae; fugientis proborum conversationem, compedes & catenas, id est, graves etiam obligationes Divinorum Præceptorum rumpentis, & obduracione in peccatis, velut lapidibus se concidentis ac afflgentis. Huic maximè intollerabili homini, & integræ communitati hominum, præfertim bonorum, gravissimo, ac proptera à duabus Evangelistis unicè memorato, addit S. Matthæus alium; qui saltem imago est hominis immorigeri, nec entis Superiorum jussis morem gerentis, quique querelis, murmurationibus, detractionibus, contentionibus, oblocutionibus facile quosque invadit, & cui præfertim in Religioso Cætu difficile est convivere: ideo inquit S. Matthæus c. 8. v. 28. *Occurrunt ei duo, haben-*

tes

46 Ab Octava SS. Corp. Christi usque ad Adventum.

tes dæmonia, de monumentis exeuntes, sævi nimis, ita nemo posset tranpare per viam illam. (Ipsi tamen propter propinquam morum similitudinem, ut etiam inter perversos fieri amat, inter se conveniebant, & conspirabant) Et ecce clamaverunt dicentes: quid nobis & tibi Fili DEI: venisti huc ante tempus torquere nos? Marcus v. 28. etiam dicit, ante Christum procidisse & ne se torqueret, rogasse: quibus similes sunt, quod coram Superioribus se humiliant, ne corrigantur, ut in vitijs esse, ac manere finantur. Horum itaque hominum miserrimus, atque ipsis & toti Communauté molestissimus status animo perpensus, moveat te, ut neque ipsis tu imiteris; neque alios, quantum in te est, in eo manere finas; sed quia eorum conversatione & correctione Diabolus se perdi, & torqueri fatetur, hanc ipsam de Diabolo ultionem suam, saepius temptationibus suis te torquentem.

PUNCT. II. Et interrogabat eum: quod tibi nomen est? & dicit ei: legio nimi nomen est, quia multi sumus. Marc. v. 9. Et rogabant illum, ne imperaret illis, ut in abyssum irent. Luc. 13. Et deprecabantur eum Spiritus, acentes: mitte nos in porcos, ut in eos introemamus. Et conceperis statim JESVS. Et exeuntes Spiritus immundi introierunt in porcos, & magno impetu præcipitatus est gressus in mare duo millia, & suffocati sunt in mari. Marc. v. 13. E multitudine dæmonum in utroque homine congregatorum colligitur, contra quam multos invisibilis hostes pugnandum nobis sit, quantum eorum odium adversus hominem, ut si homini nequeant saltem rebus ejus noceant. Itaque magna diffiditatem tui ipsius, & Confidentiam in DEVUM, in Angelos & in Sanctos Auxiliares, vigilanter, & constanti-

certa bonum certamen: & ut hostes tuos quasi proprijs eorum armis, vel consilijs vincas, considera, quid pro evitanda Inferni abyssso tibi faciendum vel patiendum sit; cum videas, ipsos dæmones superbissimos pro modica dilatione ante Christum prosterni, & pro gratia habere, si finantur saltem in turpissimis porcis habitare, qui antè volebant exaltare Solium suum super Astra DEI. Isaiæ 14. v. 13. Considera etiam, ad quam turpia desideria deveniant illi, qui cum possent, & deberent semper gaudere in DEO, & de DEO, & propter DEVUM, ad creaturas convertuntur, & gaudium ac desiderium suum ad vilissimas creaturas transferunt, quemadmodum dæmones ad porcos, vel quemadmodum filius prodigus ad filias porcorum.

PUNCT. III. *Pastores autem fugerunt, & venientes in civitatem nuntiaverunt omnia, & de eis, qui dæmonia habuerant. Et ecce! tota civitas exiit obviam JESV, & vi- so eo rogabant, ut transiret, à finibus eorum.* Matth. 8. v. 33. Addit S. Marcus, c. 5. v. 15. *Et veniunt ad JESVM, & vident illum, qui à dæmonio vexabatur, sedente, ve- stitum, & sanæ mentis, & timuerunt.* Et. v. 17. *Roga- re cæperunt eum, ut discederet à finibus eorum. Cum que ascenderet in navim, cæpit illum deprecari, qui à dæ- monio vexatus fuerat, ut esset cum illo, & non admisit eum:* sed ait illi: *vade in domum tuam ad tuos, & annuncia il- lis, quanta tibi Dominus fecerit, & misertus sit tui.* Ec- ce! Geraseni pluris æstimantes damnum tempora- le suorum porcorum, quam ingens Beneficium duo- bus miseris hominibus, totique communitati colla- tum, ac per Christi prædicationem & Miracula con- ferendum, metu novi damni temporalis, Christum Filium

Filiū DEI ab ipſis dæmoniibus proclamatū , à ſe mo  
repellunt , dum rogant , & impetrant ejus diſce- pre  
sum. O quoties tu propter coimmota tua , & re em  
viliffimas , à te DEV M , Bona Cælestia , Illustratione  
Divinas &c. repulisti ! quoties nociva petivisti ! & ag  
felix , ſi non impetrâſti ! Et rurſum felix es , quia pe  
tiūſti , ac inpetrâſti , ut eſſes cum JESV in ejus Servi  
tio , & Societate ; quod non ſolūm præfato homini  
ſed innumeris alijs dignioribus , & aptioribus , atq[ue] ter  
in Virtutis ſtadio ampliores progressus facturis ne  
gatum eſt.

## M E D I T A T I O CCXXXVI

*De Paralytico sanato.*

Matth. 9. Marc. 2. Luc. 5.

**P**UNCTUM I. *Et ascendens in naviculam transfretavit*  
*& venit in civitatem suam ( id eſt Capharnaum, Pra-*  
*dicationis ſuæ ſedem præcipuam in Galilæa , ut pati-*  
*ex S. Marco c. 2. v. 1. ) Et ecce ! afferebant ei para-*  
*ticum in lecto. Matth. 9. v. 1. Quod , quomodo factu-*  
*ſit, deſcribit S. Marcus v. 2. Auditum eſt , quod in don-*  
*eſſet , & conveſerunt multi , ita ut non caperet neque ad i-*  
*nuam , & loquebatur eis verbum. Et veneſunt ad eum ſi-*  
*rentes paralyticum , qui à quatuor portabatur. Et cu-*  
*non poſſent offerre illi p̄turba , nudaverunt teſtum , u-*  
*erat : & pateſcientes ſubmiſerunt grabatum , in quo pa-*  
*lyticus jacebat. Paralyticus , uſu membrorum deſtutus ,*  
*deſignat hominem , non utentem membra*  
*suis , & viribus ad bene operandum. Ad hujus emen-*  
*tionem cooperantur quatuor bajuli , quorum mo-*  
*ri*